

CASUS DE SACRIFICIO MISSÆ

SEU

De obligatione celebrandi et Sacrum perficiendi; de applicatione Missæ, de applicatione pro populo, et ratione stipendii; de modo celebrandi; de ritibus Missæ.

CASUS I.

OBLIGATIO CELEBRANDI.

1° HUBERTUS, ex officio, rebus quibusdam temporalibus gerendis implicatus, utpote alicujus comitis mandatarius, per annum integrum a Missæ celebratione abstinuit. Ad parochiam autem administrandam, intercedente patrono, nominatus, celebrat tantum diebus festis, et quoties, oblato a fidelibus stipendio, ad Sacrum faciendum inducitur.

2° COLUMBANUS, a paucis annis ad Sacerdotium promotus, usu deprehendit se imparem esse tum ad curam animarum, tum ad conciones e sacro pulpito habendas. Itaque volens e statu adeo intricato se eripere, et vitam perfectiorem amplecti, exuto clericali habitu, in longinquam regionem confugit et in Ordinem religiosum admitti petit, ut totam vitam inter laicos fratres agat. Nec prodit se esse Sacerdotem, ut voti compos fiat. Adeoque proponit nunquam in posterum Sacrum celebrare, et tuetur se exemplo aliquorum Sanctorum qui licet Sacerdotes, nunquam tamen aut fere nunquam Sacrum fecerunt.

HINC :

- QUER. 1° *An vel quænam sit pro Sacerdote obligatio celebrandi?*
2° *An vel quomodo peccaverit HUBERTUS, tum celebrare omit-
tendo, tum, accepto tantum stipendio, Sacrum faciendo?*
3° *An laudandus sit, aut graviter vituperandus COLUMBANUS?*
4° *An neo-Sacerdos expectare possit ad sex menses vel annum
ad Sacrum faciendum, quo melius se præparet?*

SOLUTIO :

317. — *R. ad 1^m Quæst.* Omnes Sacerdotes jure divino, *sub gravi*, ratione ipsius Sacerdotii, aliquando Missam celebrare tenentur. Constat ex verbis Christi post ultimam Cœnam: *Hoc facite in meam commemorationem*, et ex *Concil. Trid.* — Sed juxta communiorem sententiam, absolute huic præcepto, saltem quoad substantiam, satisfacit Sacerdos qui ter vel quater in anno tantum celebrat, seclusa celebrandi necessitate ratione officii. Attamen a peccato veniali non eximeretur. Imo dicit

S. Lig. n. 313, non esse excusandum a peccato veniali Sacerdotem qui non celebrat quotidie, si possit, excepta forte una die in hebdomada. *Vide Comp. n. 353 et seq.*

318. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° HUBERTUS peccavit graviter omitendo Sacrum facere per annum integrum, ut sequitur ex dictis. 2° Facile etiam potuit peccare graviter, per accidens, ratione scandali, si, dum esset Parochus, visus est sæpissime Missam omittere. 3° Non peccavit autem graviter *per se* intuitu stipendii celebrando, nisi stipendium ut verum celebrationis pretium habere vellet, quod generatim non accidit. Ratio est, quia non unice neque præcipue censetur celebrare propter stipendium, sed accessorie tantum, licet, secluso stipendio, Missam esset omisurus. Attamen a peccato veniali communiter excusari nequit, quia res odiosa est, quod sacro ministerio ad lucrandam pecuniam utatur. — Dixi *communiter*, quia Sacerdos celebrans intuitu stipendii, etiam alias non celebraturus, bene potest omni culpa carere, si v. g. stipendio indigeat, etc., dummodo non ratione lucri, sed ratione obligationis implendæ moveatur. *V. Comp. n. 373.*

319. — *R. ad 3^m Quæst.* Minime laudandus est COLUMBANUS, et ob solam ejus simplicitatem excusandus. Male enim egit. Ratio est, quia : 1° sine causa sufficiente se posuit in tali statu, in quo Sacrum facere nunquam posset. Porro hoc non licet, nisi adsit inspiratio divina bene certa, vel circumstantiæ adeo extraordinariæ ut inspirationi æquivalent, v. g. necessitas physica, vel moralis. Nec obstat exemplum Sanctorum, quia potuerunt illi inspiratione divina impelli, et insuper hoc non amplius ferunt nostri temporis mores. 2° Quia COLUMBANUS nequit prætermittere recitationem Breviarii sine dispensatione Summi Pontificis. Obligatio enim Horarum canonicarum gravissima est, et semel contracta relinqui nequit, nisi adsit impossibilitas, vel dispensatio. 3° Quia non licet Superiores in re tam gravi decipere. Hi enim, Sacerdotes inter laicos fratresmittere non solent. *Gobat, n. 483.*

320. — *R. ad 4^m Quæst. Affirm.* Res illa in se optima est, et ratio neo-Sacerdotis, primum Sacrum majoris devotionis et præparationis gratia differentis, piissima est. Hoc etiam exemplo plurium Sanctorum, v. g. S. Ignatii de Loyola, confirmatur.

CASUS II.

OBLIGATIO SACRUM PERFICIENDI.

COLUMBINUS, Parochus octogenarius, dum quadam die Missam magna cum devotione celebraret, peracta jam utraque consecratione, deliquit patitur, et in altaris scalas decidit. Ocius clamare, et ejulare mulieres in Ecclesia præsentibus, concurrere viri adstantes, simul cum ARNOLDO, Parochi adjutore. COLUMBINUS sublevant, quosdam liquores efficaces ipsius ori infundunt, iisdemque caput ejus illiniunt, et sic bonum seniculum mox refocillando, ad sensus et velut ad vitam restituunt. At, viribus vix recuperatis, Parochus graviter dubitare cœpit an, licet non amplius jeju-

nus, posset Sacrum prosequi, vel imperfectum relinquere; vel an potius ARNOLDUS Vicarius, utpote adhuc jejunus, Sacrificium prosequi deberet.

HINC :

QUÆR. 1° *An Missa incepta semper sit perficienda?*

2° *An Parochus, non jejunus, eam prosequi debeat, vel potius Vicarius adhuc jejunus?*

3° *Quid in dubio an Parochus Sacrum perficere possit?*

4° *Quid, si Parochus deliquium passus esset ante consecrationem, vel inter utramque consecrationem?*

SOLUTIO :

321 — *R. ad 1^m Quæs.* Sacrificium Missæ, quod fuit inchoatum, nec potest ab eodem Sacerdote perfici, v. g. quia moritur, aut repentina infirmitate corripitur, necessario ab alio Sacerdote, si quis reperitur, perficiendum est. Ita, juxta omnes, *de jure divino*; quia Christus, instituendo Sacrificium Missæ, voluit ut semper esset integrum in quantum fieri potest; id enim postulat reverentia tanto Sacrificio debita. *V. Rubr. Missæ, tit. 9.*

322. — *R. ad 2^m Quæs.* Parochus ipse, in casu nostro, Sacrificium a se inceptum prosequi debet. Ratio est, quia quisquis hoc tremendum Sacrificium inceptit, saltem si jam ultra consecrationem pervenit, tenetur illud complere, et quidem ex præcepto divino. Igitur alius Sacerdos ad hoc vice Parochi fungi non potest, nisi ipse Missam perficere nequeat, quia unitas ministri servanda est, ubi servari potest. Nec obstat quod Parochus non sit amplius jejunus, quia præceptum de jejunio naturali a celebrante servando tantum humanum est, et proinde præcepto divino perficiendi Sacrificii cedere debet. *Gobat, de Missa, n. 806. — Elbel, n. 145.*

323. — *R. ad 3^m Quæs.* In hac hypothese, adhuc Parochus complere Sacrificium conari deberet, a Vicario, vel etiam a laicis adjutus et sublevatus. Ratio est, quia præceptum divinum tanti momenti, in quantum fieri absolute potest, adimpleri debet. Etenim homines negotia humana gravissima non tam facile relinquunt incompleta, ut non omni conatu moraliter possibili ea complere et in effectum adducere nitantur. Ergo, a fortiori, Sacerdos conari debet omni modo moraliter possibili ad divinum hoc mysterium perficiendum. Secus tamen dicendum, si Parochus noster sine gravissimo vitæ dispendio, vel periculo gravioris infirmitatis, Missam inceptam prosequi non valeret, vel etiam si non posset illam prosequi nisi post notabilem temporis lapsum, v. g. si prævideretur non posse Sacrificium interruptum perficere nisi post unam horam, juxta *S. Lig.*; quia, interveniente tanto temporis tractu, Sacrificium non amplius cum priore censeretur conjungi. Igitur in tali casu, alius Sacerdos, etiam non jejunus, Missam complere deberet, juxta *Rubr. Missalis, tit. de Defectibus, § 10.* Sed etiam in hoc ultimo casu, si Parochus infirmus adhuc communicari possit, eidem a Sacerdote, vicem ejus supplente,

Hostia minor, vel pars aliqua de Hostia majori, administrari debet. *Ita ex Rubr.*

324. — *R. ad 4^m Quæs.* Si Parochus ante consecrationem gravi infirmitate correptus fuisset, ita ut ulterius progredi non potuisset, Missa omittenda foret, quia non urget amplius ratio Sacrificii perficiendi. — Si vero consistere debuit peracta jam una consecratione, vel altera non omnino completa, tunc alius Sacerdos, etiam non jejunus, imo etiam irregularis et excommunicatus, Missam prosequi debet, et integram consecrationis Calicis formam repetere. *V. Rubr. Miss. — S. Lig. n. 355.*

CASUS III.

INTENTIO ET APPLICATIO.

Sacrificii Missæ.

CANDIDUS, Sacerdos, usque ad dementiam scrupulosus, dum est celebraturus diu hæret cum variis nutibus capitis et gesticulationibus, iterum iterumque formans intentionem, *volo, volo, volo celebrare Missam: non volo, volas, volare; sed volo, vis, velle.* Magis autem adhuc angitur circa Missæ applicationem, quam pluries mente revolvit, et verbis repetit ante Sacrum, in Offertorio, et sub ipsam Consecrationem, quin animi pacem obtineat.

HINC :

QUÆR. 1° *An vel quænam requiratur intentio celebrandi?*

2° *An, vel quænam requiratur applicatio Sacrificii?*

3° *Quid de CANDIDO dicendum?*

SOLUTIO :

325. — *R. ad 1^m Quæs.* Nulla celebrandi intentio actu formali et explicito in Sacerdote celebraturo requiritur. Etenim ad agendum humano modo sufficit intentio virtualis, juxta omnes; atqui Sacerdos celebraturus, qui tendit ad Ecclesiam, in sacristiam se recipit, paramentis sacris induitur, atque ad altare pergit, cæremoniasque sacras incipit, ac persequitur, intentionem saltem virtualementem seu implicitam celebrandi, et Sacrificium perficiendi, habet. Ergo necesse non est ut expresse id statuat, dicens: *Volo celebrare.* Ergo inanis et ridiculus est ille scrupulus qui circa defectum sufficientis intentionis versatur.

326. — *R. ad 2^m Quæs.* 1° Requiritur aliqua applicatio Sacrificii Missæ, etiam non accepto stipendio, ut fructus specialis seu ministerialis alicui obveniat. Sacerdos enim personam Christi gerit, et proinde, sicut ipse solus in persona Christi Sacrificium offert, ita etiam solus præfatum fructum ejusdem applicare debet.

Alii vero fructus Sacrificii, seu fructus generalis et specialissimus, ex se, id est ex natura rei, applicationem suam sive fidelibus omnibus, sive assistentibus, sive ipsi celebranti factam, sortiuntur. Si Sacerdos ex oblivione applicationem fructus specialis facere omitteret, ille fructus nemini

cederet, in Ecclesiæ thesauro remanens, ac proinde minus utilis foret. Juxta plures, ipsi Sacerdoti obveniret ex interpretativa ejus intentione. Hoc evadet certum, si Sacerdos generalem intentionem sibi hunc fructum, recurrente casu, applicandi, semel elicuerit.

2° Non est necessarium ut applicatio sit *actualis* vel *virtualis*, sed satis est ut sit *habitualis*, seu, ut semel facta non fuerit retractata, quia fit per modum donationis, et fructus semel donatus, seu applicatus alicui, isti obvenit, nisi applicatio revocetur. Sed persona cui fit applicatio sufficienter determinata esse debet, licet necessarium non sit ut cognoscatur. *S. Lig. n. 335. — V. Comp. n. 355.*

327. — *R. ad 3^m Quæ.* Res per se perspicua est. Inutiliter et insipienter adeo insistit in elicienda Sacri faciendi intentione. Admonendus igitur est, ut a tantis scrupulis se exuat. Pie vero Sacerdos expresse elicit intentionem Missam celebrandi.

CASUS IV.

APPLICATIO MISSÆ.

Pro populo ratione officii 1°.

VALERIUS, Parochus, licet sufficientes redditus habeat, Missam pro qua stipendium acceperat, celebravit *die Dominica*, et, decurrente hebdomada, Sacrificium *pro populo* obtulit. Idem etiam alia vice præstitit, celebrando *die Dominica* pro defuncto, præsentem corpore, et Sacrum *pro populo* faciendum ad alium diem feriale remittendo. Mutata autem parochia, cum in novo domicilio non sibi videatur redditus habere ad honestam sustentationem sufficientes, Sacrum diebus festis populo non applicat.

HINC :

- QUÆR. 1° *Qualis sit obligatio PASTORUM animarum celebrandi diebus festis?*
 2° *An obligatio ad aliam diem remitti possit?*
 3° *Quinam sint veri PASTORES? An Superiores religiosi? An Capellani Monialium, etc.?*
 4° *Quid de VALERIO dicendum?*

SOLUTIO :

328. — *R. ad 1^m Quæ.* Datur obligatio gravis, ad omnes animarum Pastores spectans, Missam pro populo celebrandi singulis diebus Dominicis et festis de præcepto. *Const. Bened. XIV*, die 19 Aug. 1774 : *Cum semper, etc...*

R. ad 2^m Quæ. Hæc obligatio Missam celebrandi die Dominica ad aliam diem *per se* remitti nequit. Constat ex Declaratione *Bened. XIV*, in eadem *Constit.* Dispensat enim Pontifex, ut Parochi pauperes, qui pecunia hic et nunc indigent, stipendium accipere possint pro Missa die festo celebranda, sed ea conditione ut alia die pro populo celebrent. Ergo, seclusa

hac ratione gravi, id est, secluso dispensationis casu, Missa *pro populo*, die festo celebranda, ad alium diem remitti nequit.

329. — *R. ad 3^m Quæ.* Pastores animarum dicuntur ii qui habent beneficium cui adhæret cura animarum. Isti autem non sunt alii, nisi Episcopi et Parochi. Igitur hi soli Missam *pro populo* diebus festis celebrare tenentur. Proinde, neque Superiores ecclesiastici vel regulares, neque Capellani monasteriorum vel carcerum, aut nosocomiorum, etc., ad Sacrum pro subditis faciendum tenentur.

330. — *R. ad 4^m Quæ.* 1° VALERIUS peccavit remittendo Missam *pro populo* celebrandam, ad aliam diem absque necessitate, id est, secluso dispensationis casu; præceptum enim Ecclesiæ est, ut Missa *pro populo* die Dominica a Parocho celebretur.

2° Nec valet ratio Missam pro defuncto, etiam præsentem cadavere, celebrandi. Constat ex responsione *S. Cong. Rit. in Fesulana* 26 Jan. 1771. Fuit enim expresse postulatum : *An Parochi in Dominicis... præsentem cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto, et ad aliam diem transferre Missam pro populo applicandam?* *S. Congr.* respondit : *Negative.* — *Vide Bouix, de Parocho, p. 587.*

3° Non valet VALERII excusatio, scilicet, quod redditus sint tenues, et non sufficientes ad ipsum sustentandum. Urget enim nihilominus obligatio celebrandi diebus festis *pro populo*. Sic pluries decrevit *S. Cong.*, potissimum die 29 Jan. 1734. Ratio est, quia Pastor hanc obligationem suscepit, nonobstante reddituum insufficientia, et proinde eam adimplere debet. Sicut enim Sacerdos acceptans stipendium congruo minus, Missas tamen promissas celebrare tenetur, ut definivit *S. Congr.*, sic etiam acceptans parochiam cujus redditus sunt sustentationi impares, tenetur diebus festis Missam *pro populo* applicare.

CASUS V.

APPLICATIO MISSÆ.

Pro populo ratione officii 2°.

1° SYLVESTER, Parochus, dum benevalet non omittit Sacrum facere *pro populo*; si vero ex morbo vel alio impedimento celebrare nequeat, non curat per alium supplere, quia, ait, *nemo ad impossibile tenetur.* Etenim, cum sit hæc obligatio personalis, cessat quoties personaliter impleri nequit.

2° MARTINUS sæpius Missam privatam et etiam extra Ecclesiam parochialem celebratam, die festo, populo applicat. Solet etiam non raro intentionem cum Vicario die Dominica permutare. Vicissim enim Missam solemnem decantant, ita ut, cum Vicarii vices redeunt, hic *pro populo* Sacrum faciat, et Parochus Missam privatam ad intentionem Vicarii celebret.

HINC :

- QUÆR. 1° *An obligatio celebrandi PRO POPULO sit PERSONALIS?*
 2° *An cesset, sit pastor sit impeditus?*

QUER. 3^o *An Parochus obligationi suæ satisfaciatur per Missam privatam, vel extra parochiam celebratam?*

4^o *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

331. — *R. ad 1^m Quæst.* Præfata obligatio est vere *personalis*, quia ad Parochum pertinet, ut Pastorem. Hinc Parochi debent per se ipsos Missam *pro populo* celebrare, nec ulla valet in contrarium consuetudo. Constat ex respons. *S. Congr.* die 25 Sept. 1747. — *Bouix, de Parocho, p. 590.*

R. ad 2^m Quæst. Minime cessat obligatio celebrandi *pro populo*, etiam accedente impedimento, v. g. infirmitate. Sed tunc Parochus, vel Episcopus, procurare debet ut obligationi huic per alium satisfiat. Ratio est, quia hæc obligatio non est tantum *personalis*, sed etiam *realis*; proinde subsistit adhuc, persona impedita. *S. Congr. Rit.* 11 Maii 1720. — *V. S. Lig. n. 326.*

332. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Parochus omnino satisfaciatur obligationi suæ per Missam privatam, quia reapse præceptum Ecclesiæ adimplet, siquidem nihil aliud ei injungitur, nisi ut die festo *pro populo* celebret. Nec tenetur Missam solemnem, neque aliqua certa hora celebrare. *Bouix, ibid. p. 591.*

2^o Parochus celebrans extra Ecclesiam parochialem diebus festis, satisfaciatur quidem obligationi suæ ratione justitiæ, si Missam populo applicet, sed illicite agit, nisi aliqua justa causa excusetur. Eruiatur ex Declaratione *S. Congr.* — *Bouix, ibid.*

333. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o SYLVESTER errat graviter. Obligatio enim Missam *pro populo* celebrandi, est simul *personalis* et *realis*. Hoc scire debuisset, si paulo magis ad theologiæ studium incubuisset. Sacra igitur omnia quæ omisit sedulo supplere debet, ut obligationi justitiæ satisfaciatur.

2^o MARTINUS, juxta dicta, non peccavit Missam privatam die festo *pro populo* applicando; sed peccavit extra Ecclesiam suam celebrando, seclusa necessitate, vel aliqua justa causa, v. g. itineris, etc.

Male egit, nisi bona fide excusatus fuerit, intentionem pro Missa solemnem populo applicanda cum Vicario vicissim permutans, quia, ut dictum est, obligatio Parochi pro subditis celebrandi, est *personalis*; nec requiritur ut Missa solemnem populo applicetur; hæc igitur intentionum permutatio minime faciendâ est sine justa causa. Consuetudo igitur opposita, quæ in nonnullis locis invaluit, omnino eliminanda est. Constat ex Declaratione *S. Congr. Concilii*, die 25 Septemb. 1847. Accedente autem justa causa, licita est hujusmodi permutatio intentionis, v. g. si Parochus pro aliquo defuncto Sacrum peragere deberet. Imo in tali casu Parochus etiam Missam *pro populo* celebrandam ad aliam diem intra hebdomadam differre posset. Sic pariter ex *S. Congr.* — *V. Comp. n. 362.* — *Bouix, de Parocho, p. 590*

CASUS VI.

APPLICATIO MISSÆ.

Ratione stipendii 1^o.

LABANUS sic Missæ applicationem facit in casibus sequentibus :

1^o Aliquando, ineunte mense, vel saltem hebdomada, intentionem et applicationem specialem de Sacris faciendis determinat pro toto mense, vel hebdomada, ita ut de illa habenda minime amplius curet.

2^o Aliquando, accepto stipendio, statuit Missam celebrare die sabbati sequentis, et occurrente illo die, immemor prioris elicite intentionis, sibi ad devotionem, vel ad alium finem Sacrum applicat.

3^o Nonnunquam applicationem determinat tantum post primam, vel etiam secundam consecrationem.

4^o Interdum Missam offert pro primo stipendium erogaturo, vel pro primo e parochia morituro. Cum autem hæc Confessario aperuisset, audit ab ipso invalidam fuisse in omnibus applicationem, et Missas pro stipendio lectas esse iterandas.

HINC :

QUER. *An valida fuerit applicatio LABANI in propositis casibus, et quid de sententia ejus Confessarii?*

SOLUTIO :

334. — *R. 1^o In primo casu*, valide et licite egit intentionem efformando pro singulis diebus, ab initio hebdomadæ, vel mensis. Patet ex dictis. In praxi ordinariè suadendum est ei, ut pro una hebdomada tantum intentionem eliciat, ne frequentius, ob casus improvisos occurrentes, eam mutare debeat. Prudenter quoque se geret LABANUS, si catalogum accuratum de Missis statuto ordine celebrandis teneat.

335. — 2^o *In secundo casu*, valet prior applicatio quæ vere retractata non fuit; voluntas enim celebrandi juxta priorem intentionem est prædominans et implicite perseverat. Non debet igitur LABANUS, novam applicationem Missæ facere ad eandem intentionem. *Recole dicta in casu 3^o, de Actibus humanis, ad 3^m Quæst. n. 3.*

336. — 3^o *In tertio casu.* 1^o Non valet applicatio Missæ post utramque consecrationem facta. Ratio est, quia non potest offerri actio jam præterita, sed tantum faciendâ; siquidem actio jam facta ad unum finem, vel ad nullum finem, non potest intelligi fieri ad alium finem in genere, vel ad finem postea determinandum. Præterea Sacerdos fructum sui Sacrificii conservare, et dein conferre non potest. Ergo applicatio post utramque consecrationem facta invalida est. 2^o Valet autem applicatio facta ante consecrationem, licet melius sit eam facere ante Missam, vel in principio Missæ. Ratio est, quia actio sacrificandi non fit ante consecrationem, sed in ipsa consecratione, saltem quoad præcipuam partem, et probabilius, juxta multos, in sola consecratione. Ergo ante consecrationem offerri po-